

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 29/19

DECRETUM

De celebratione Sancti Pauli VI, papæ,
in Calendario Romano Generali inscribenda

Iesus Christus hominis plenitudo, vivens et operans in Ecclesia, omnes homines invitat ad transfigurantem occursionem cum Eo, qui est «via, veritas et vita» (*Io* 14, 6). Sancti quidem hoc iter confecerunt. Hoc Paulus VI perfecit, exemplum sectans Apostoli cuius nomen assumpsit, in illo temporis vestigio quo Spiritus Sanctus eum selegit tamquam Petri successorem.

Paulus VI (in sæculo: Ioannes Baptista Montini) die 26 mensis septembris anno 1897 in vico Concesio prope Brixiam in Italia natus est. Die 29 mensis maii anno 1920, presbyteratu auctus est. Inde ab anno 1924 in adiuvandis Summis Pontificibus Pio XI et Pio XII incubuit simulque ministerium sacerdotale pro iuvenibus universitariis exercuit. Substitutus Secretariæ Status nominatus, tempore secundi totius mundi belli, de Hebræis persecutis et profugis suscipiendis molitus est. Deinde Pro-Secretarius Status pro Ordinariis Ecclesiæ Negotiis factus, pro singulari officio etiam fautores oecumenici motus complures cognovit atque convenit. Archiepiscopus Mediolanensis nominatus diversimode dioecesim coluit. Anno 1958, ad dignitatem Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Sancto Ioanne XXIII evector est, post cuius mortem, die 21 mensis iunii anno 1963, ad Petri cathedram electus est. In opere a præcessoribus inito alacriter perseverans, præsertim Concilium Vaticanum II perfecit atque incepta innumera inchoavit, quæ vividæ eius sollicitudinis erga Ecclesiam et mundum eius ætatis fuerunt signum, in quibus memoranda ipsiusmet peregrinantis itinera, apostolici muneris causa suscepta, quæ quidem cum ad Christianorum unitatem parandam, tum ad vindicanda primaria hominum iura maximi momenti evaserunt. Item Magisterium pacis summum exercuit, populorum progressionem atque fidei inculturationem promovit, instaurationem denique liturgicam, qua ritus et preces, servata traditione et simul ad nova tempora accommodatione, probavit ita ut Calendarium, Missale, Liturgiam Horarum, Pontificale et fere totum Rituale pro ritu Romano auctoritate sua promulgaret ad actuosam populi fidelis participationem liturgiæ fovendam. Eodem modo celebrationes pontificias ad simpliciores formas exsequi curavit. Die 6 mensis augusti anno 1978, in Arce Gandulphi, Deo spiritum reddidit, et, iuxta suam dispositionem, humiliter sicut vixerat sepultus est. ./.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, curam Ecclesiae suae, peregrinantis in tempora, illis tradit quos Ipse vicarios Filii sui constituit. Ex iis sanctus Paulus VI fulget, qui in se fidem puram sancti Petri et missionalem sedulitatem sancti Pauli iunxit. Conscientia sua se Petrum sentiendi clarescit si meminimus eum, in die 10 iunii 1969, Consilium Oecumenicum Ecclesiarum Genevae visitantem, se obtulisse dicentem: «Mihi nomen est Petrus». Sed ille autem missionem suam, pro qua se electum agnoscebat, ab ipso nomine selecto mutuabat. Tamquam Paulus, vitam suam profudit pro Christi Evangelio, novos fines superans et testimonium Eius afferens in opere nuntiandi et dialogum promovendi, propheta Ecclesiae ad externum convertendae, quae longinquos intuetur et pauperes curat. Ecclesia vero semper fuit amor eius constans, navitas eius primigenia, assidua cogitatio, primum et praecipuum vestigium illius pontificatus: nam volebat Ecclesiam in se ipsam penitus introspicere ad magis magisque opus Evangelii nuntiandi dilatandum.

Vitae sanctitate huius Summi Pontificis perspecta, operibus verbisque testificata, et magno pondere eius ministerii apostolici perpenso pro Ecclesia in toto orbe terrarum diffusa, Summus Pontifex FRANCISCUS, postulationes et desideria populi Dei annuens, celebrationem sancti Pauli VI, papae, die 29 maii, gradu memoriae ad libitum, in Calendarium Romanum inseri decrevit.

Nova igitur memoria cunctis Calendariis Librisque liturgicis pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inserenda; textus liturgici adhibendi hoc decreto adnexi, cura Coetuum Episcoporum vertendi, approbandi et post huius Dicasterii confirmationem edendi sunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino e Disciplina Sacramentorum die 25 ianuarii 2019, in festo Conversionis S. Pauli, apostoli.

Robertus Card. Sarah
Præfectus

✠ Arturus Roche
Archiepiscopus a Secretis